



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCXXXV. Bündniß zwischen dem Könige Kasimir von Polen und dem
Markgrafen Ludwig von Brandenburg, geschlossen zu Polen, am 31. Juli
1333.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCLXXXV. Bündniß zwischen dem Könige Kasimir von Polen und dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg, geschlossen zu Posen, am 31. Juli 1333.

Katzmirus, dei gratia rex polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomarie, Syradye, Luncitie, Cuyauie, Pomeranieque dominus et heres, singulis et uniuersis, ad quorum noticiam presentes deuenerint, salutem et noticiam subscriptorum. Ad conseruationem terrarum siue principatum nostrorum utrobique, qui per discordiarum disturbia deperire et per unionem unitamque concordiam proficere uerius et augeri uidentur, Cum illustri principe Ludouico, Brandenburgensi et Lusatie Marchione, amico nostro dilecto, volumus et promittimus firme pacis ligas pro singulis nobis opem siue subsidium prestantibus et prestare uolentibus nostraque mandata siue beneplacita respicientibus a festo beati Jacobi nunc transacto per duos annos continuos sine doli suggestione cujuslibet seruare pariter et tenere: Tali tamen conditione interposita vel inclusa, Quod si aliqua dampna siue nocumenta clam vel palam, que probari poterunt, per nostros de terra, munitioibus nostris aut nostrorum sibi dominoque suo, dictis treugis siue ligis durantibus, inferuntur aut illata fuerint, facientem et facientes ad parendum juri sub forma, modo et consuetudine polonicis coram aduocato marchionis predicti, qui tunc pro tempore fuerit, in castro dryesen dicto, modis, quibus congruit, artare vel artari mandare volumus, et de quibuscunque idem vel iidem a querulantibus vel querulanti et dampna perpeffis conuictus aut conuicti fuerint tenebuntur et debent et terminos ipsius castri siue iudicii sine predicti aduocati aut conquerentium consensu non egressuri secundum ydoneorum dictamen et interpositionem plenarie satisfacere de eisdem. Nolumus etiam aliquem proscriptum siue profugum scienter regnum nostrum aut dominium suum dampnificantem aut dampnificare uolentem tenere nec per nostros et nobis intendentes teneri consentire nec permittere, nec aliquem subditorum suorum munitiones rite sibi pertinentes habentem vel carentem, cujuscunque conditionis existit, recipere nec etiam defensare permittere, nisi de ipsius domini Marchionis fauore fuerit aut licentia speciali. Adicientes etiam, quod si aliqui subditorum nostrorum munitiones in regno nostro siue dominio habentes contra nostram inhibitionem nostreque uoluntatis consensum sibi dominoque suo predicto grauamina siue nocumenta desistere noluerint inferre, quod quandocunque per ipsum siue sui nomine requisiti fuerimus, munitioinum suarum obsidionibus aliisque modis, quibus contra tales maleficos procedendum fuerit, procedere sine tarditate volumus, quousque plenarie satisfecerint aut se cum ipso super hujuscemodi compositione composuerint condecanti. In cuius rei testimonium presentes conscribi, sigillique nostri appensi munimine iussimus insigniri. Datum posnane, anno domini M^o. CCC^o. XXXIII^o., sabbato infra octauas beati Jacobi, presentibus post biennium minime ualituris.

Nach dem Copialbuche des Ges. Kab.-Archives I. C. 4 in quarto Bl. 21. — Fehlerhaft abgedruckt in Gerden's Cod. I, 136. 137.